

Zeitschrift: Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg

Band: 7 (1960)

Artikel: Consecratio eucharistica : vere - realiter - proprie sacrificativa

Autor: Kunii, Jordanus

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761474>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 22.01.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

JORDANUS KUNIČIĆ OP

Consecratio eucharistica vere — realiter — proprie sacrificativa

Constitutivum formale, essentiam quasi metaphysicam, Missae quatenus sacrificii, in consecratione prout est conversiva — renovativa seu oblativa — et applicativa reposuimus¹. In discussione « Ist das Wesen des eucharistischen Opfers mit *einer* Konsekration gegeben ? » auctor articuli² duos textus, sorte quasi, ex nostro articulo deprompsit, quod factum non uni minus rectae conclusioni ansam praebere posset. Sint, propterea, haec quae adiunguntur verba, signum sinceri desiderii ut quaestio, pro posse, magis clare exposita appareat.

1. *Consecratio ut una actio.* Validitas omnium sacramentorum, respectu utique ad naturam uniuscuiusque habito, ab unione materiae et formae dependet, nam sacramentum est unum signum. Sacramentum Eucharistiae duplici materia et forma componitur, pluribus itaque partibus integralibus constat. Haec materialis multiplicitas fundamentum praebet ut dicamus, singulas partes posse valide a diversis poni, « dummodo idem materiam et formam respiciat uniuscuiusque partis. Ita uno sacerdote consecrante hostiam, alter valide consecraret calicem »³. Quilibet igitur consecrator in casu praestaret omnia essentialia ad sacramentum conficiendum. Formaliter consecratio consideratur nihilominus ut una actio.

Verba efficiunt, quod significant, unde una materia consecrata statim effectum obtinet. Consecratio unius materiae essentiam sacramenti praebet, valida est. Et salvatur essentia sacramenti in una materia consecrata, non solum si per accidens et prater intentionem una sine altera consecratur, puta ob impossibilitatem physicam vel moralem consecrantis, sed etiam « si fiat ex intentione et de industria, quia in omnibus sacramentis, quando proferruntur verba super materiam, statim habetur effectus, nec pendet ab eventu futuro »⁴. Sub unaquaque specie vere, realiter et substantialiter totus Christus continetur, et dicere illum ibi contineri solum tamquam in signo, figura vel virtute, contra fidem esset. Consecrato solo pane, Christus praesens fidelibus adorandus proponitur. Ex hoc deduximus et alia (cfr. nostrum art. p. 130). Specialis indoles huius sacramenti numquam obliviscenda !

¹ J. KUNIČIĆ OP : De Missa ut vero ac proprio sacrificio sec. S. Thomam. FZPT 7 (1960) 124-138.

² T. KREIDER OSB : Ibidem, p. 313 sq.

³ B. MERKELBACH OP, Summa Theol. Mor. III (1949) num. 15, p. 25.

⁴ Ibidem, num. 213, p. 174.

Consecratio, qua sacramentalis et sacrificalis actio, una est. Certum videtur dicendum consecrationem unius materiae invalidam esse, si consecrans ante consecrationem omnino excluderet vel si sciret alteram materiam consecrare non posse, at si alteram materiam non omnino excludit, iam in consecratione unius materiae, quasi ex natura actus, intentio invenitur alteram quoque materiam consecrandi. Una materia consecrata iam est opus sacrificii inchoatum, iam hostia posita est, iam essentialia pro sacramento, inde et pro sacrificio, adsunt, quia non unum sine altero datur⁵. Aliam tamen rationem esse utriusque non negamus. Sacramentum in re permanente, sacrificium in actione transeunte consistit. Formale igitur constitutivum utriusque : rei permanentis seu status, et actionis, non ex eodem capite repetimus.

Ex parte significationis passionis Christi, in qua corpus a sanguine separatum fuit, duplex consecratio requiritur, et haec tam eloquens est, ut passio Christi « non potuit melius significari quam sic, ut significetur sanguis ut effusus et separatus a corpore »⁶, quod duplex consecratio indicat.

Una igitur consecratione peracta iam sacrificium incoepit, iam essentialiter, quoad hostiae praesentiam, quamvis non complete repraesentativum, idem sacrificium peractum est. Nihil mirum si haec verba in nostro articulo inveniantur : « Verum est panem sine vino consecrare non licere, tamen utrumque per se habet suam perfectionem ita, ut finita consecratione panis iam est sacrificium peractum, iam res significata adest, iam totus Christus est praesens » (art. cit. p. 129). Hoc sacramentum igitur quodammodo multiplex est, formaliter tamen unum, nam unum signum, unus Christus. Neminem tamen latere debet, aliud esse quaerere de constitutivis physicis, puta anima et corpore pro homine ut ente physico, materia et forma ut partibus integralibus sacramenti, aliud denuo de partibus metaphysicis, puta humanitate in homine vel toto sensibili eiusque significatione in sacramento Eucharistiae.

In Eucharistia, solum una parte signi sacramentalis consecrata, salvatur eiusdem essentia, obtinetur effectus, unde consecratio solius unius materiae proclamanda est valida. Unitas autem consecrationis, tamquam perfecte significativae, solum consecratione alterius materiae obtinetur, at res significata, hostia realiter sacrificata, iam in consecratione solius panis adest. Completio significationis per secundam consecrationem differt ab incoepitione eiusdem per primam consecrationem sicut modus a re, signum perfectum a signo imperfecto, completum ab incompleto in repraesentando.

2. *In consecratione, sumpta ut una, multiplex virtus intelligitur.* Consecratio ut una existens, nam ad unum signum : Christum praesentem terminat, a nobis, non sine fundamento, ut multiplex virtute considerari potest, nam aequivalet ad diversa terminare, prout nos concipimus et distinguimus praesentiam, actionem oblativam, applicativam et significativam unius et eiusdem Subiecti. Multiplex virtus eiusdem consecrationis maxime ostenditur in hoc, quod sacramentum, et aliquo modo ipsum sacrificium, iam in prima consecratione obtinetur, tamen perfecta significatio seu repraesentatio non nisi secunda consecratione peracta verificatur. Cum igitur, salva essentia, unum

⁵ Ibidem.

⁶ S. THOMAS : in Math., c. 26, num. 4.

sine altero esse possit, multiplicem virtutem distinguere possumus et quaedam tenus debemus.

Consecratio itaque a nobis concipitur primo ut virtutem habens *conversivam*, prout nempe conversione transubstantiva praesens fit Christus, id est : consecratio quatenus conversiva terminat ad praesentiam Christi ; eadem consecratio quasi constringit Christum praesentem, ut renovet actus oboedientiae et charitatis erga Patrem et animas salvandas, et secundum talem respectum consecratio a nobis concipitur et est *renovativa* actuum beatae animae Christi, consequenter oblativa eosdem Patri, sicut eosdem in passione cruenta eidem Patri obtulit, unde consecratio quatenus renovativa et oblativa terminat ad positionem actus seu actuum ; eadem consecratio fructus passionis Christi ad animas transfert, unde est *applicativa* meritorum Christi, quod intelligitur ut terminus distinctus ab aliis, ad quos eadem consecratio terminat.

Haec omnia verificantur etiam in consecratione solius materiae panis seu unius speciei. Negare hos effectus competere soli consecrationi panis idem esset ac negare totum Christum statim, prolatis verbis consecrationis panis, praesentem esse ; per hoc negaretur officium illum adorandi statim ac prolatio verborum desierit ; item, haec negare, de facili duceret ad negandam validitatem consecrationis solius unius speciei, si, dicamus, a consecranda altera specie consecrator impeditus fuerit. Consecrans accepit potestatem consecrandi per modum sacrificii, et aliter potestatem exercere nequit, quod patet ex doctrina Tridentini (Denz. 938, 949) et ex verbis ordinationis, quibus confertur potestas offerendi sacrificium. Iamvero, consecrans, qui recte potestate intendit uti, iam in prima consecratione sacrificat, et quidem vere et realiter, quia « semper inchoatio alicuius ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in iis quae fiunt a natura, quam in his quae fiunt ab arte »⁷. Dicamus igitur inchoationem completi ritus sacrificialis ordinari ad completionem eiusdem ritus, et hoc adstantes intelligere. Consummata tamen perfectio aderit, cum altera materia fuerit consecrata, quia tunc perfecta erit significatio passionis Christi, in qua sanguis a corpore separatus fuit.

Ex hoc iam patet, consecrationem virtutem habere quoque *significativam* passionis Christi, eiusdem repraesentativam, manifestativam, demonstrativam, commemorativam. Virtus tamen separativa non obtinet realiter, vere et proprie suum effectum, nam Christus nunc est impassibilis, manet proinde haec virtus solum separativa symbolice. Quis non videt hanc differentiam ? Consecratio quatenus conversiva, oblativa, applicativa, vere, realiter, proprie effectum sortitur, dum quatenus separativa solum id obtinet symbolice, in figura, imagine, repraesentatione. Quemnam terminum habet taliter intellecta consecratio ? Ad terminum hypotheticum, ad modum rei seu victimae sacrificatae iam praesentis, ad completam significationem, non ad essentialem rei positionem.

3. *Elementum externum in sacrificio.* Hominum natura illud exigit. In Missa hoc elementum est obvium : visibilis, externe apparens duplex materia, visibilis offerens, audibilis prolatio formae, visibilis ritus etc.

⁷ S. THOMAS : I-II, q. 1, a. 6.

Hoc tamen elementum externum sacrificii nequaquam elementum formale constitutum vocare possumus, cum hoc in actibus internis Christi et offerentis sacerdotis reposuerimus. Homo physice constat quoque corpore, elemento externo, sed formale, specificum elementum, quod hominem a vivente irrationali distinguit, in anima reponendum est. Totus noster articulus ad hoc tendebat, ut formale constitutum sacrificii Missae ab actibus internis desumatur. Externum elementum ut manifestativum interni diximus, iuxta dicta S. Thomae : « Significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo. »⁸ Quod elementum externum ut pars materialis sacrificii haberi debeat, nemo dubitare potest.

4. *Immolatio mystica ad hoc elementum non reducitur.* Nodus quaestionis hic videtur iacere. Ille « externus habitus mortis », qui post secundam consecrationem habetur, taliter ab asecclis immolationis mysticae tamquam constitutivi formalis urgetur, ut huic hypotheticae separationi valorem decisivum sacrificalem adscribant, immo parati inveniantur verum ac proprium characterem sacrificii Missae negare, nisi haec ratio sacrificii ex tali hypothetico statu separationis repeteretur. Haec ergo mystica immolatio, hic status hypotheticus separationis, secundum hanc sententiam, rationem nobis reddit, cur Missa in ratione sacrificii constituatur, cur consecratio actio sacrificialis dicenda sit.

Non videtur identificandum elementum externum sacrificii cum hoc apparenti habitu mortis, nam iste externus habitus mortis seu status mysticae immolationis neque videtur neque sentitur neque auditur. Non ergo aliquid apparens, irrealis, alienum – sunt enim species panis et vini quae videntur – elemento externo simpliciter adnumerare licet. Sacrificium exigit elementum externum, at verum, reale, proprium. Hoc in statu symbolicae mactationis deest.

Videntes separatas species panis et vini nihil concipiunt quam quod natura docet, illas ex natura separatas esse. Si autem ad vim verborum consecrationis appellare velis, non certe illis virtutem vere separativam tribues, nam Christus amplius non moritur. Quid igitur aliud est iste externus habitus mortis nisi symbolum, imago, figura, repraesentatio? Et quae causalitas sacrificialis tali symbolo vel figurae competit? Constitutum formale actionis sacrificialis aliquid plus quam symbolum, figuram vel repraesentationem exigit. Opus namque nobis est invenire illum actum positivum, illam causam, quae ut radix inservit et explicat alia quae conveniunt consecrationi qua actioni sacrificiali. Status, isque solum hypotheticus, non potest dare explicationem formalem constitutivam realitati, quae in linea actus positivi sacrificialis ponitur.

Significatio igitur, quae rem consecratam et sacrificatam supponit, non explicat ob quam rationem formaliter hostia sacrificata fuerit. Nec necessaria nec possibilis haec separatio corporis et animae Christi, nec verba consecrationis ad hanc separationem directe tendunt; directe enim significant et efficiunt Christum praesentem et quidem : « solummodo sub speciebus

⁸ S. THOMAS : II-II, q. 85, a. 2, et 3 ad 2; III, q. 22, a. 2.

sacramentalibus talem praesentem eum reddunt, qualis existit, sive vivum sicut in ultima coena ac nunc, sive mortuum sicut durante triduo mortis, si eo tempore sacramentum confectum fuisset »⁹. Verba igitur consecrationis directe nobis praebent Christum vivum.

5. *Consecratio est vere, realiter et proprie actio sacrificativa.* Omnino obvium nobis videtur constitutivum formale, rationem ultimam Missae, quatenus sacrificii, non quaerendam esse in quoddam « statu », multo minus in statu hypothetico, sed quaerendum in elemento dinamico, in actione ; nam sacrificium consistit in actione.

Nota duplicem sensum termini « repraesentare ». Imago regis nobis ante oculos ponit, in mentem revocat regem, at illum non faciet vere et realiter praesentem, unde photographia regis illum nobis *repraesentat* seu simpliciter idealiter praesentat ; alium sensum idem terminus induere potest, nempe : denuo praesentem facere, id est *repraesentare*, iterato modo, denuo adducere. Consecratio quatenus sacrificativa hunc alterum sensum primario induit, nam est conversiva.

Numquid symbolicus et hypotheticus status mortis, qui per separatam positionem specierum intelligitur, id est consecratio quatenus significativa, valorem habet *reproductionis* ? Et quidem vere, realiter et proprie ? Minime, nam vera-realis-proprie dicta praesentia Christi iam intelligitur adesse, antequam significatio mortis per secundam speciem completur. Dicamus ergo sacrificium Missae relativum ad sacrificium Crucis, tamen, sacrificium Missae per aliquid in se constitutivum, absolutum, primo explicetur oportet.

Mystica ergo separatio corporis et animae, per specierum separatam positionem significata, solum *significat* vel significare intelligitur mortem Christi, at illa non facit Christum ut hostiam praesentem, deest illi causalitas sacrificialis ; illa per alienas res, per species panis et vini, aliud in mentem venire facit, at formalem rationem, ob quam est sacrificialis consecratio in Missa, nequaquam ultimatim explicat ; illa potius hostiam praesentem supponit, et sacrificium complet in ratione significationis.

Hinc scripsimus : « Nec imago nec signum nec symbolum nec repraesentatio constituere possunt veritatem sacrificii et immolationis, sed sacrificium iam supponunt constitutum, ergo non constituunt » (cfr. nostrum art. p. 130). Signum hypotheticum, separatio intellecta ut apparens, quomodo primo et per se, formaliter ac radicaliter, constitutive et non advenienter, rationem ipsam actionis sacrificialis reddere possunt ? Ante omnia igitur non videtur rectum hanc conceptam figuram separationis animae a corpore inter signa sensibilia, qualia sunt illa supra enumerata, adnumerare ; deinde, et magis, nequaquam talis status hypotheticus explicat cur consecratio sit vere, realiter et proprie sacrificativa. Dicas ergo symbolicam separationem pertinere ad essentialem modum significandi passionem Christi, ad illam complete ante oculos ponendi, manifestandi ultimum stadium huius repraesentationis, at per hoc non exies e regione figurae vel signi, non attinges vere-realiter-proprie essentiam sacrificii, eius constitutivum formale. Non aliud scripsimus his

⁹ F. DIEKAMP - A. HOFFMANN: Theol. Dogm. Manuale, IV, ed. lat. 1956, § 36, p. 243.

verbis : « Christus in eucharistia invenitur insensibiliter et invisibiliter, unde aliud est dicere separatam positionem specierum valde expresse *significare*, aliud autem talem separatam positionem *constituere* ipsam essentiam sacrificii et immolationis » (loc. cit. p. 129). Et sermo est, sicut initio dicti articuli monuimus, de essentia quasi metaphysica, non physica. Sermo est de primo perfectivo in ratione sacrificali et immolativa, de elemento constitutivo et quidem primo, de radice, de ratione primo explicativa, de eo, quo posito alia advenire intelliguntur, quo remoto, alia recedere constringuntur (loc. cit. p. 121 sq.).

Dices : Symbolica immolatio est eo ipso oblatio sacrificalis, eadem extensio utriusque termini. – Respondemus : *a*) diximus supra, consecrationem sub variis aspectibus varios terminos habere ; *b*) significatio mystica est per species alienas, sed constitutivum sacrificii debet repeti per propria, per internos, veros, reales et proprios actus ; *c*) separatio animae et corporis est conceptus sacrificii cruenti, hic vero agitur de sacrificio quod in actione interna consistit, in actione quae reproducere debet illud internum « pati », hoc est internos actus oboedientiae, charitatis etc. ; *d*) symbolicae immolationi seu eius figurae deest actio sacrificalis, illa non pertinet ad lineam actionis, sed significationis ; *e*) talem essentiam sacrificii debemus invenire, quae convenit vivo et numquam morituro Christo, significationem autem puram nihil prohibet quominus ad cruentum sacrificium, quod transiit, extendamus.

Verum est omnes sententias difficultatibus obnoxias esse, at sententia immolationis mysticae non videtur attingere id quod est primum et essenziale, nempe : veram, realem et propriam actionem sacrificalem. Unde scripsimus : « Facile est dicere talem explicationem non sistere in significatione tantum, sed difficile est monstrare veram et propriam causalitatem sacrificalem et immolativam consecrationis » (loc. cit. p. 122).

6. *Analogia cum corpore et anima in homine ad rem non facit.* Auctores, inter quos Kreider¹⁰, in hac comparatione invenire putant rationem formalem, ob quam externum elementum ad constitutivum formale reducendum est etiam pro sacrificio Crucis, inde et pro sacrificio Missae. Constringuntur itaque aliqui dicere Christum sese tradidisse, animam a corpore separasse, seipsum hoc sensu mactasse. Mactatio igitur realis fuit pars constitutiva sacrificii crucis, eademque, licet symbolicam, invenire debemus in sacrificio Missae.

Ad haec dici possunt sequentia : *a*) Minus nobis placet hic modus loquendi de Christo, qui seipsum « mactavit » vel aliquid id genus, quia talis locutio inducere videtur sensum voluntarii directi, quasi cuiusdam suicidii, unde prudentius est dicere cum S. Thoma, Christum voluntarie sustinuisse passionem, noluisse a se repellere nocumenta, permisisse, ut morti succumberet¹¹ ; *b*) passio corporis Christi in passione dicatur materiale elementum eiusdem passionis, sed « externum habitum mortis » in Missa vocare elementum essentialiter constitutivum eiusdem consecrationis quatenus sacrificalis,

¹⁰ T. KREIDER OSB : art. cit., p. 311.

¹¹ S. THOMAS : III, q. 47, a. 1.

est quid aliud, utpote hic « externus habitus mortis » nequidem ut materiale elementum in sacrificio Missae censi potest, est enim quid hypotheticum, solum symbolicum ; *c*) analogia cum corpore humano videtur contra ipsam sententiam immolationis mysticae militare, nam de facto anima corpori dat unum esse, subsistere et specificum esse, eademque anima est unicum principium totius activitatis, utpote forma corporis humani, ergo et elementum formale, specificè constitutivum consecrationis quatenus sacrificalis, in elemento interno est reponendum ; *d*) corpus humanum unam possidet formam, in Eucharistia autem quaelibet materia habet formam, et praesentia obiecti significati in una sola specie verificatur ; *e*) corpus humanum est visibile et est hoc corpus per hanc animam, immolatio mystica non subiacet sensibus, nec status separationis talis censetur per propria, sei per aliena ; *f*) corpus sine anima non est corpus humanum, deficit illi essentia specifica, anima autem soluta corpore sola existit, panis vero consecratus continet vere, realiter et substantialiter totum Christum etiam ante consecrationem vini ; *g*) melior esset comparatio corporis humani cum pane et vino, sed haec elementa sunt materia remota Eucharistiae.

Concesso, animam sacrificii eucharistici in actibus internis consistere, internis inquam animae Christi, pergat Diekamp : « Sed oportet ut anima corpore non careat ideoque adsit actio visibilis, qua oblatio visibilis significetur »¹². Esto necessarium esse aliquod elementum sacrificii eucharistici, quod oblationem visibilem reddit, et hoc tribuimus signo externo visibili, elemento materiali : materiae, formae, ritui etc., hypothetica tamen mors non est quid visibile, multo minus quid primo et per se ac formaliter rationem reddens characteris sacrificialis, causalitatis sacrificativae eiusdem sacrificii eucharistici. Estne possibile per statum « *ac si esset* » corpus separatum ab anima rationem reddere alicuius quod *de facto* est ? Estne legitimum confundere elementum physicum cum ratione formali ? Utrum iure Kreider ea quae ad elementum materiale et visibile pertinet, ad repraesentationem symbolicam transferat ? Censemus dictum auctorem hanc differentiam vidisse, sed ex eius verbis hoc non cogimur concludere.

Dices : exclusa immolatione mystica, circa rem oblatam nihil fit, deest ergo ratio sacrificii. – Ad hoc observamus : *a*) Et, inclusa seu admissa immolatione mystica, quid vere, realiter et proprie fit ? *b*) etiam sine immolatione mystica ut elemento formali constitutivo sacrificii eucharistici « aliquid fit », sed nec cum illa nec sine illa « mactatio fit », nec realis mutatio hostiae, nam hoc sacrificium est essentialiter incruentum, est primo in actione consistens, non in statu, eoque hypothetico ; *c*) immolatio mystica neque tangit hostiam, Christum, neque tangit species panis et vini, nam istae ante et post consecrationem immutatae manent, quoad id quod de illis extrinsecus apparet ; *d*) admissa immolatione mystica, quae duplici consecratione verificatur, fit aliquid : significatio completa, at per aliud iudicamus significationem, per aliud formalem seu essentialem constitutionem, cum, antequam perficiatur completa significatio, iam essentia hostiae oblatae adsit ; *e*) Christo praesente sub una specie iam « recolitur memoria passionis eius », quia prae-

¹² A. DIEKAMP : loc. cit., p. 243.

sens est Christus passus, pro nobis datus, fructus passionis nobis applicans, in divitias passionis nos introducens.

Alia, quae hinc subiungi possent, ex num. sequenti adiungantur. Natura sacrificii eucharistici talis est, ut in modo offerendi differat a sacrificio Crucis. Aliis igitur conceptibus quam qui cruento sacrificio competunt, utendum est. Non contenti simus symbolo vel figura, sed inferre debemus veritatem, realitatem et proprietatem sacrificii eucharistici. Realismus est salvandus, symbolismus superandus !

7. *De mente S. Thomae.* Concedimus simpliciter, neque apud S. Thomam neque in Magisterio Ecclesiae talem quaestionem solutam inveniri. Scimus quidem in Missa offerri verum, reale sacrificium, repraesentativum sacrificii crucis, quod cruentum fuit (Denz. 938, 949, 950). Qua autem ratione consecratio evadat sacrificativa, ubi reponenda ultima ratio immolationis, sub quo respectu Missa est sacrificium – haec ad disputationes in schola usque nunc pertinere dicenda sunt. Nec ad « Mediator », uti observavimus, appellandum est.

Certum est requiri actionem sacrificalem veram, realem, specificè huic sacrificio convenientem. Totus articulus, quem scripsimus, ad hoc tendebat, ut sententiam immolationis mysticae imparem ad rationem veri, realis et proprii sacrificii constituendam declarem. Deest tali elemento significativo positiva ratio actionis sacrificalis, sistit, diximus, in signo. Inveniendum igitur erat in S. Thoma id, quod vere, realiter et proprie ad essentiam sacrificii pertinet. Invenienda erat causalitas sacrificalis. Adduximusne ad hoc ostendendum apta principia ex S. Thoma ?

Pro S. Thoma realis connexio inter praesentiam Christi in eucharistia et passionem eiusdem Christi peractam invenitur, nam Eucharistia continet Christum passum, sacrificatum. Vere igitur, realiter praesens est Christus quatenus passus. Hoc non sistit in linea significationis, figurae vel solius repraesentationis. – Item, pro S. Thoma vere, realiter et proprie competens ratio celebrationi huius sacrificii assignatur haec, ut nempe merita passionis Christi applicentur animabus salvandis. Hoc sine dubio transcendit rationem signi ; fructus passionis Christi obveniunt realiter et personaliter singulis animabus salvandis vel supernaturaliter ditandis. Non solum apparens est nexus inter merita Christi et animas, sed verus ; non in symbolo solum animae sanantur et salvantur, sed in rei veritate ; non per merita in aere pendentia, sed unicuique animae applicata, haec ad caelestia evehitur. Cogitet ergo quisquis vel non cogitet, independenter a mentis nostrae consideratione haec omnia obiective, vere et realiter eveniunt. – Intrando in sacrarium animae Christi ibi S. Thomas invenit fundamentum ut sacrificium crucis *verum* declaret, invenit nempe charitatem, oboedientiam, et secundum hos internos actus proclamavit veritatem sacrificii, nam hi actus vere extiterunt. Vere, obiective, realiter isti actus renovantur in sacrificio eucharistico, ibi igitur fundamentum veritatis et realitatis eiusdem est inveniendum. Assignare sacrificio eucharistico id, quod illud transcendere rationem signi vel figurae non permittit, idem esset ac illud cum imperfectis sacrificiis V. Testamenti identificare ¹³.

¹³ S. THOMAS : III, q. 75, a. 1 ; 48, a. 3 ; 83, a. 1.

Commentatores S. Thomae non semper recta via videntur processisse. Post Concilium Tridentinum auctores invenire conantur in sacrificio Missae realem immutationem Hostiae, ut fortius existentiam sacrificii Missae contra Novatores adstruant. Aliqui commentatores in ipsam notionem sacrificii in genere introducere conati sunt elementa, quae huic vel illi sacrificio conveniunt. Dixerat S. Thomas in omni sacrificio circa res oblatas « aliquid fieri ». Si aliquis loco « aliquid fit » inserat : « realis mutatio fit » vel « mactatio fit » vel aliquid simile, iam non de sacrificio in genere, sed de hac vel illa sacrificii specie sermo fit. Insuper, aliqui commentatores loquuntur de effusione sanguinis in qualibet Missa, at S. Thomas potius diceret : « Calix sanguinem eius continet, prout est per passionem *fusus* »¹⁴. Nihil mirum, si, conceptu ex sacrificiis cruentis mutuato, ad impossibilia asserenda quoad sacrificium Missae deventum fuerit.

Quod iuxta mentem S. Thomae formale constitutum in actibus internis non in materiali elemento sacrificii reponendum sit, extra dubium nobis videtur sistere. Accedamus ad aliquos textus. Distinctio inter veritatem et veritatis signum nobis indubitanter occurrit.

Qua ratione passio Christi in cruce fuit verum sacrificium ? Ad hoc respondet expresse III P., q. 48, a. 3 : « Sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum ». Bene notetur hic ad rationem sacrificii proprie dicti nihil requirere, nisi, ut aliquid fiat in honorem Dei, quod vim habeat ad eum placandum. Quid autem Christus fecit ? « Voluntarie passionem sustinuit ». Hoc Deo fuit acceptissimum. Quare » « Utpote ex charitate maxima proveniens ». Sustinere ergo passionem est actus Deo acceptissimus, si ex charitate provenit. Hic animi actus effecit, ut passio Christi fuerit « verum sacrificium ». En causalitas sacrificialis !

Quomodo iudicanda externa passio corporis ? Occidentales Christum, vim inferendo separarunt corpus ab anima, et opus eorum maleficium est iudicandum¹⁵. Optime Caietanus in commentario ad hunc locum observat essenziale in sacrificiis, quae consistunt in pati, repeti, secundum actionem interiorem, qua sponte Deo pati offertur, sicut et Christus fecit ; externum elementum praestantur occisores, et sacrilegium commiserunt.

Consecratio igitur secundum S. Thomam dicenda est sacrificialis actio, quia vere et realiter habet vim conversivam in corpus et sanguinem Christi, quia *continet* ipsum Christum passum¹⁶. – Insuper, ex positione internorum actuum animae Christi repetitur natura veri sacrificii, sicut passio in cruce fuit verum sacrificium, utpote ex internis animae actibus procedens¹⁷, et in Missa Christus hos actus renovat ac Patri offert. – Ulterius, sacrificium Missae fructus passionis applicat animabus salvandis, in omni consecratione « opus redemptionis exercetur » seu : « Effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine », et ex hac parte « proprium est huic sacramento, quod in eius celebratione Christus immoletur »¹⁸. – Tandem,

¹⁴ Id. : IV Sent. d. 8, q. 2, a. 2, sol. 1 ad 2 et 3.

¹⁵ S. THOMAS : III, q. 28, a. 3 ad 3.

¹⁶ Ibid., q. 73, a. 5 ad 2 ; q. 75, a. 1.

¹⁷ Ibid., q. 48, a. 3.

¹⁸ Ibid., q. 83, a. 1 ; q. 79, a. 1.

consecratio habet virtutem quoque significativam, repraesentativam, at haec significatio non constituit, non facit, sed supponit sacrificium peractum.

Munus significandi et munus constituendi distinguuntur. En aliqui textus: « Hoc sacramentum habet triplicem significationem : Unam quidem respectu praeteriti, in quantum scilicet est *commemorativum* dominicae passionis, quae fuit *verum* sacrificium »¹⁹. – Item, alio loco : « Celebratio huius sacramenti ... imago quaedam est *repraesentativa* passionis Christi, quae est *vera* eius immolatio »²⁰. – Pariter, figura vel imago sacrificii non dant rationem propriam sacrificii N. Testamenti, sed oportet realiter applicentur fructus passionis Christi, et « sic *proprium* est huic sacramento, quod in eius celebratione Christus immoletur »²¹. – Tandem, sacramentum Eucharistiae habet effectum primo ex eo, quod Christus in eo « est *contentus* », quod fit per consecrationem quatenus conversivam, et ulterius per hoc quod « passio eius est *repraesentata* »²². Ordo ergo significandi et constituendi non eodem modo considerantur.

8. *Conclusio*. Sana logica et obiectivus valor cognitionis prohibent, ne id quod est *verum* sacrificium explicemus per id quod est apparens, tamquam per elementum constitutivum, ergo non possumus verum sacrificium Missae explicare essentialiter per apparentem statum mortis ; item, impossibile est *reale* sacrificium Missae, tamquam per constitutivum formale, explicare per elementum ordinis figurativi, hypothetici, per « ac si esset » corpus a sanguine separatum ; tandem impossibile videtur *proprium* sacrificium N. Testamenti, tamquam per essentielle elementum constitutivum, explicare per aliquid alienum, per species panis et vini, quod solum figura est veri sacrificii, nec sic differret a sacrificiis Veteris Testamenti.

Habet tamen consecratio virtutem quoque significativam seu repraesentativam, supposita eiusdem virtute conversiva, renovativa-oblativa, et applicativa. Prima consecrationis materia consecrata, iam totus Christus praesens est, Christus inquam cum anima et corpore inseparabiliter unitis. Consecratio separationem efficere nequit, potest tamen illam significare, prout refertur ad praeteritum, ad passionem peractam, sed prout refertur ad actuale Christi statum, impossibile est et inutile, ut separationem significet. Completa, consummata imago mortis Christi, respectu igitur ad praeteritum, habetur solum secunda consecratione peracta. Haec secunda consecratio est de iure divino, de specialissimo Christi mandato, est in intentione cuiusvis sacerdotis legitime utentis sua potestate. Consecrato vino perfecta habetur repraesentatio mortis Christi, ergo potes hanc significationem vocare essentialem quoad ritum, modum, liturgice, quoad repraesentationem, sed nequamquam illam ut constitutivum formale ipsius sacrificii aestimare possumus. Non adest proportio, non affertur ratio sufficiens ; magis nempe explicaretur per minus, si rationem essentialem veri explicarem per apparens, reale per hypotheticum, proprium per elementum alienum.

Haec, quae hic diximus, iis, quae in priori articulo dicta sunt, addita, quoad hanc quaestionem sufficient.

¹⁹ Ibid., q. 73, a. 4.

²⁰ Ibid., q. 83, a. 1.

²¹ Ibid.

²² S. THOMAS : III, q. 79, a. 2.